



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Gregorii Papae VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

CONCILIVM TRIBVRIENSE  
ANNO DOMINI MXXXV. CELEBRATVM  
tempore Benedicti papæ IX.

ANNO  
CHRISTI  
1035.

N O T A.

\* *Concilium.*] Anno supra signato magnam Synodum Triburensem collectam esse testatur Hermannus in chronicō quod ex codice Augustano nuper edidit Canisius. Acta eius summatim describuntur in chronicō Cameracensi lib. 1. cap. 51. his verbis: *Triburia secus Moguntiam imperator Conradus de diuersis partibus episcopos conuocauit, ut que utilitatis & religionis sunt adiuvicem conferrent. Qui post aliqua dictorum suorum hoc habuerunt capitulum, ut si quando ieiunium primi mensis in ea hebdomada, qua constat caput ieiunii, sicut solet euentre, amborum ieiuniorum celebritas officii expletione completeretur. In hoc rursus moderatissimus pastor antiquam patrum consuetudinem seruari monebat, & in altera hebdomada officium primi ieiunii celebrandum pro consuetudine antiqua censebat: cuius oblata sententia visa est congrua, & ab iis decreta est tenenda.* Hæc chronicum Cameracense prædicto loco.

CONCILIVM VENETVM,  
IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ  
celebratum anno Christi MXL. sub Benedicto papa  
IX.

ANNO  
CHRISTI  
1040.

N O T A.

\* *Concilium Venetum.*] Hoc Concilium, assistente & fauente Dominico Flabanico duce Venetiarum, celebratum est Venetiis in ecclesia sancti Marci sub Vrso patriarcha, in quo, teste Andrea Dandolo in suo breui chronicō, pleraque ad disciplinam ecclesiasticam spectantia constituta fuerunt.

VITA  
GREGORII PAPÆ VI.

ANNO  
CHRISTI  
1044.

Gregorius  
VI. quando  
& a quibus  
electus:

GREGORIVS, huius nominis sextus, cui antea Gratiani nomen erat, anno Domini 1044. tempore regnantis Henrici secundi a Romanis tamquā ecclesię Dei

liberator, vnanimi consensu electus est pontifex, quando tricipitem illam bestiam pharmaco tali, quod temporis illius infelicitas exigebat, e medio sustulisset, dataque pecunia ab intrusis pontificibus pacem & vnonem ecclesiæ comparans, eiusdem ecclesiæ vexationem redemisset. Factum pontificis prudentissimum nemo nisi Benno schismaticorum signifer, vtriusque Gregorii VI. & VII. magistri & discipuli hostis infensissimus, hominum omnium mendacissimus, tamquam simoniacum reprehendit vnam. Gregorius VII. qui implacabilis simoniacorum hostis erat, ob eius amorem se post adeptum pontificatum Gregorium VII. vocari voluit, cum antea Hildebrandus appellatus fuisset. In Concilio Romano, quod anno pontificatus sui septimo habitum fuit Romæ, eumdem legitimum pontificem & præcessorem suum recognoscit. Glaber, qui hoc tempore scripsiterat, Gregorium summopere laudans, hæc de eius ingressu commemorat: Tunc vero cum consensu totius Romani populi, atque ex præcepto imperatoris, electus est a sede Benedictus, & loco eius subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus Gregorius natione Romanus, cuius videlicet bona fama quidquid prior fœdauerat in melius reformauit. Ipse quidem Petrus Damiani, mox quam audiisset eius promotionem canonicam, scriptis ad eum litteris eidem congratulatur, quod ecclesia Dei, per eius electionem fôrdibus expurgatis, pristinum decorem consecuta fuerit. Otto Frisingensis, postquam schismatis supra recensiti fœditatem commemorasset, dixissetque miserrium statum ecclesiæ per religiosum quemdam presbyterum nomine Gratianum zelo pietatis facta redemptione schismatis in melius mutatum esse, modo quo supra eiusdem auctoritate enarraui, subiungens ibidem ait: Ob ea ciues præfatum presbyterum tamquam ecclesiæ Dei liberatorem in sumnum pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VI. vocauerunt. Vnde sicut errare noscuntur hi, qui Ioannem schismaticum, de quo supra in Benedicto, cum Gratiano conflant in vnum; ita etiam qui Gregorium inter tres illos improbatos pontifices enumerant. Initio pontificatus a Casimiro eam, quam Benedictus soluendam imposuerat, contributio-

An fuerit  
simonia-  
cus?

Gregorius  
an fuerit  
schismati-  
cus?

Concil. Tom. 25.

Fff ij

nem denarii accepit. Post hæc sceleratos vrbe expulit, & sacrilegos rerum ecclesiasticarum inuasores, quos verbis & gladio spirituali non poterat, gladio militari ad restitutionem spolii adegit. *Vvilielmus Malmeburius de gestis regum Anglorum.*

Gregorius quando &  
cur se pon-  
tificatu ab-  
dicauerit?

Qua de causa dum odium & inuidiam Romanorum ex furtis & rapinis viuentium incurrisset, crimen simoniæ & homicidii insimulatus venit ad Henricum regem Placentiæ degentem, ibique habito Concilio Sutriño cui ipse præsedit, nullo testimonio conuictus, nullave sententia iudicatus, ob pacem ecclesiæ conciliandam & schismatis periculum, quod iterum imminebat conflandum, imitatus Gregorium Nazianzenum sponte se abdicauit, anno Domini millesimo quadragesimo sexto cum teste Leone Ostiensi sedisset annos duos & octo menses.

CONCILIVM SVTRINVM,  
QVO GREGORIVS VI. SEIPSVM PONTIFICATV  
abdicauit, anno Domini M XL VI.

N O T A.

Acta Con-  
cilii.

An & quo-  
modo tres  
pseudopa-  
pa schisma-  
tici in hac  
Synodo  
depositi?

<sup>a</sup> *Concilium.*] De rebus in hac Synodo gestis Hermannus huius temporis scriptor ista refert: *Coadunato exercitu Papie Synodus celebrait, inde Placentiam veniens Gratianum clarissimum, nempe Gregorium VI. quem expulsis prioribus Romanipapam statuerant, ad sevenientem honorifice suscepit, sive cunctis prospere cedentibus, iuxta natalem Domini non longe ab urbe Roma apud Sutriam Synodo item acta, causaque erroneous pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam conuictum baculo pastorali priuauit; deinde omnium tam Romanorum, quam aliorum consensu Suidgerum episcopum, qui post Eberhardum primum secundus Bambergensem sexto iam anno regebat ecclesiam, nimium reluctantem summum Romanæ ecclesiæ elegit pontificem, sive circa vigilias natalis Domini ipsam ingrediuntur urbem.* Hæc de rebus in Concilio gestis Hermannus. Sed quod refertur in hac Synodo tres schismaticos pontifices depositos esse, non aliter intelligendum est, quam quod priuati fuerint illis redditibus, quos cum illis transfigens Gratianus ad quietem & vnonem ecclesiæ redimendam illis assignauerat. Et quorum gratia idem in hoc iudicio simoniæ accusatus, sed nequaquam conuictus fuerat. Illud vero quod ait, Gregorium in hoc Concilio Sutriño depositum fuisse, nequaquam sustineri potest.